Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Caecus natus

urn:nbn:de:bsz:31-102436

Visual Library

ſtro Abrahamo, qui tamen mortuus eſt, ut etiam ipſi uates? Quem tu te facis? I. Si ego meipſum laudarem, laudatio mea nulla eſſet. Pater meus eſt qui me laudat: quem uos, cum dicatis ueſtrum eſſe Deum, tamen non nouiſtis. At ego noui: id quod ſi negarem, ueſtri eſſem ſimilis, id eſt mēdax. ſed noui eum, eiusq́; dictis parco. Abrahamus ille parens ueſter geſtiuit uidere diem meam, & uidit, & uidiſſe gauiſus eſt. IVD. Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum uidiſti? IE. Imò antequam Abrahamus eſſet, ego eram. IVD. Proh ſcelus, hæccine nos tam indigna ferre? quin eum cooperimus lapidibus? Agite, fiat lapidatio. Sed quid hoc eſt? nuſquam comparet: euanuit.

SENTENTIA.

Patrem ſequitur ſua proles. Cui quiſq; obedit, eius filius aut ſeruus eſt. Ex opere iudicatur de homine. Impij ſunt ex Diabolo nati. Seruire iuſticiæ, ea demum libertas eſt. Simulatores dum ſe negant homicidas, in eo ipſo ueſtigio homicidia moliuntur. Simulatorem ſi homicidij argueris, occidet te, ſi poterit, ut ſe non homicidam eſſe oſtendat. Vtinam tantum ſaperet mundus, ut ex ſuis eos fructibus cognoſceret.

CAECVS NATVS.

Ioan. 9.

ARGVMENTVM.

Ieſus cæcum natum ſanat. Phariſæi poſtquã hoc, etiam interrogatis eius parentibus, reſciuerunt, de Ieſu maledicunt: & ſanatum, quia de Ieſu benedicebat, eijciunt. Et Ieſus ei ſeſe aperit: & Phariſæos cæcitatis arguens, de ſeipſo, bono paſtore, diſputat.

Diſcipuli, Ieſus, Cæcus natus, Vicini, Phariſæi, Iudæi, Parentes cæci.

Magiſter, utrum propter ſuum hic, an propter parentum peccatum cæcus natus eſt? I. *Propter neutrum: tantum ut diuina in eo opera demonſtrarentur.* Me oportet rem agere eius qui me miſit, dum dies eſt. Veniet nox, cum agi non poterit, Donec in hac uita ago, lux ſum hominum. Sed age iam, huic homini lucem conferam. Cõfectum eſt. Abi lotum in piſcina Siloa. C. *Faciam, & quidem libenter. O' me felicẽ, ſi poſſum adipiſci id quod homines uocant lucem: quo ita delectantur, ut negẽt quicquam iucundius. At ego nunquam ne ſuſpicari quidem potui quale eſſet; neq; omnino animo & cogitatione comprehendere, quid album, quid'ue atrum dicant. Ita mihi natura iniqua fuit, ut mihi rem omnium prædicatione ſuauiſſimam inuiderit. Sed iam uideor mihi ad piſcinam perueniſſe. lauabo me,*

ut ſum iuſſus. O' Deus immortalis, quid hoc rei eſt? hoccine eſt uidere? Ho, ho, uix ſum mei compos, præ gaudio. Video ego cœlum, terram, homines. Bone Deus, quis eſt hodie tam fortunatus, quàm ego ſum? O'populares, aſpicite, aſpicite eum qui ex utero matris cæcus eſt exceptus, nunc liquidò uidentem. V. Eſt'ne hic ille, qui ſolebat ſedens mendicare? ALIVS. Planè. ALIVS. Fieri non poteſt. Alius eſt, eius ſimillimus. C. Imò ego uerò ille ipſe ſum. V. Quo pacto tibi aperti ſunt oculi? C. Quidam homo, quem Ieſum nuncupant, puluerem ſputo ſuo temperatum meis oculis illeuit. deinde iußit ut irem lotum in Siloa: quo facto, ſenſum uidendi ſum aſſecutus. V. Vbi eſt ille? C. Me latet. V. Deducamus eum ad Phariſæos. C. Quò libet. V. Adducimus uobis hominem, Phariſæi, qui ait ſe, cum à natiuitate cæcus eſſet, uidendi munus à Ieſu eſſe aſſecutum. P. Quomodo iſtud amabò? C. Cœno mihi oculos illeuit: quibus deinde ablutis, uideo. PHARIS. Is homo non eſt à Deo profectus, ut qui ſabbatum non agat. ALIVS. Quî poßit improbus homo tam ſtupenda? PHARI. Tu quid de eo cenſes, qui tibi oculos aperuerit? CAE. Ego'ne? Vatem eſſe. IVD. Credibile non eſt, eum qui nunc uidet, cæcum fuiſſe. Euocentur huc eius parentes. ALIVS. Sanè placet. Heus uos, accerſite eos. NVNCI. Fiet. IVD. Placet hanc rem altius

ſciſcitari. NVNCI. Adſunt. IVD. Hiccine eſt filius ueſter, quem uos prædicatis cæcum eſſe natum? Quî fit ut nunc cernat? PA. Hunc filium eſſe noſtrum, & cæcum fuiſſe natum, ſcimus: quomodo nunc cernat, neſcimus: quis'ue ei oculos aperuerit, nos fugit. ipſe iam grandis eſt, ipſum interrogate, de ſe ut eloquatur. PHA. Appelletur iterum. Ades tu, fatere uerum. a Nobis ſatis cognitum eſt, hominem illum eſſe ſceleratum. CAE. Sceleratus ſit, nec ne, neſcio: unum illud ſcio, me, cum cæcus fuerim, nunc oculis uti. PHA. Quid fecit tibi? quomodo illuſtrauit tua lumina? C. Iam uobis dixi, neque audiuiſtis. Quid denuò uultis audire? Num uos quoque uultis eius diſcipuli fieri? PH. Abi in malam rem. Tu es eius diſcipulus: nos Moſis ſumus diſcipuli. Satis ſcimus, cum Moſe locutum eſſe Deum: at hic unde ſit, neſcimus. C. Ergo in eo eſt admirabilitas, quòd uos neſcitis unde ſit, cum mihi oculos pateſecerit.[b] Iam ſcimus, improbos à Deo non audiri: ſed ſi quis pius eſt, & Dei uoluntati parens, eum audit Deus. Nunquam poſt hominum memoriam fando auditum eſt, quenquam illuſtrauiſſe oculos cæci nati. Quòd niſi eſſet is profectus à Deo, nihil poſſet. PH. [c] Tu ſcelerum plenus es, & nos doces? Abi foras in malam crucem. I. Audio eum, quem natiua cæcitate liberaui,[d] exactum eſſe à Iudæis. Et ecce eum. Heus tu,

habes

ceeleratiſsi homines id notum dicunt, od eſt fal- mũ: quod m & ho- ſit. Nam eratiſsi- quiq; ſan- ſimos ſq; ſcele- ſsimos eſ hil dubi affirmare. Validiſsi- n argu- mentum.

erati ab ratis ad eri ſe in- iſsimè fe runt. ciectum.

habes' ne fidem Dei filio? CAE. *Quis autem is eſt, ut ei fidem habeam?* IE. *Vides eum, is ipſe eſt, qui tecum loquitur.* C. *Ego uerò fidem habeo.* IE. *Ego in hunc terrarum orbem ad hoc diſcrimen & ad hunc delectum ueni, ut qui non uident, uideāt: & qui uident, cæci fiant.* PHAR. *An tibi nos uidemur cæci?* IES. *Si cæci eſſetis, non eſſetis in uitio. Nunc quia dicitis uos cernere, peccatum in uobis hæret. Sic accipite: Qui non intrat per ianuam in caulam, ſed aliâ tranſcendit, is fur eſt & latro. Qui autem intrat per ianuam, paſtor eſt ouium. Huic ianitor aperit. Huius uocem exaudiunt oues. Hic ſuas appellat nominatim, eaſq; educit, eductiſq;* [e] *præit uiam: hunc oues conſequuntur, ut cuius uocem agnoſcant. Alienum autem non ſequuntur, ſed defugiunt: quoniam non agnoſcunt alienam uocem. Verùm ut intelligatis quid mihi uelim, ſic habetote. Ego ſum ianua ouium.* [f] *Omnes quicunque ante me uenerunt, fures ſunt & latrones, nec eos audiuerunt oues. Ego ſum ianua. Per me qui intrabit, ſeruabitur, & ingreſſum & egreſſum liberum habebit, & paſcuum nanciſcetur. Fur non aliam ob cauſam uenit, quàm ut furetur, mactet, perdat: ego ueni ut uita fruantur, & melius habeant. Ego ſum paſtor bonus. Paſtor bonus animam ponit pro ouibus. At mercenarius ille, non paſtor, cuius ſuæ non ſunt oues, ſi quando uidet lu-*

e Secundu[m] conſuetud[i]nē loqui[tur] eorum pa[sto]rum qui o[ui]bus prçeu[nt] non ſequu[n]tur, ut fit qu[i]buſdā l[o]cis.

f De re loc[utus] tur, nō de [tem]pore. Nec enim ua[...] oēs qui C[hri]ſti tēpora [an]teceſſerūt [fu]res fueru[nt]. Sunt en[im] Chriſtum [...] tempore, [...] re ſecu[...] quippe al[...] miſſi.

pum uenientem, relictis ouibus, in pedes ſe conijcit: lupus oues agit, rapit. Ille mercenarius fugit: nempe mercenarius, nec curam habens ouium. Ego ſum paſtor bonus, & meas noui, uiciſsimq́; eis ſum notus. Quemadmodum nouit me pater, ita ego noui patrem: & animam pono pro ouibus. Habeo autem alias oues, quæ non ſunt huius ouilis: quæ etiam mihi adducendæ ſunt, meamq́; uocem audient: atq; ita fiet unum ouile, unusq́; paſtor. Ideo me pater amat, quia animam pono, eam reſumpturus. Eam quidem nullus mihi eripere poteſt, ſed ipſe mea ſponte eam pono. habeo enim poteſtatē eam ponendi, rurſumq́; ſumendi. Hoc mihi in mandatis dedit meus pater.

uidelicet [ext]ernas gentes.

IVD. *Furioſus eſt, & inſanit: quid eum auditis?*
AL. *Hæc nō ſunt furentis. Poteſt'ne furia cæcorum oculos lucis uſu donare?*

SENTENTIA.

Quos ſanaturus eſt Chriſtus, prius fœdat: hoc eſt, fœdos eſſe oſtendit. Simulatoribus nihil eſt uel pertinacius, uel crudelius. Equidē ſic mihi perſuaſi, etiam ſi reliqui omnes ueritati crederent, ſimulatores non eſſe credituros. Quos mundus eijcit, Chriſtus accipit, eisq́; ſeſe aperit. Qui diuina ſapiunt, mundo furere uidentur. Aperi hic tandem oculos, ô cæce munde, & noli continuò furoris arguere, ſi quis aliquid uel agit uel dicit, quod tu, ô belua centiceps, uel non approbas, uel non intelligis.

telligis. Cognoſce, & iterum tertioq́; cognoſce, antequam iudices. Nam De fol iuge brieue ſentence: Ad pœnitendum properat, citô qui iudicat.

RENOVALIA. Ioan. 10.

ARGVMENTVM.

Ieſus Iudęis Chriſtũ Deiq́; filium ſe eſſe fatetur: ob eamq́; cauſam illi eum lapidare conantur.

Iudæi, Ieſus.

QVamdiu noſtros animos ſuſpenſos tenebis? Si tu es Chriſtus, dic nobis apertè. I. *Id dixi uobis, nec creditis. ea quæ patris mei nomine facio ſatis de me teſtantur. Sed uos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis: quemadmodum dixi uobis. Oues meæ uocem meam audiunt. ego eas cognoſco, ipſæ me ſequuntur, ego eis uitam largior ſempiternam. Non poſſunt unquam perire, neq; mihi eas quiſquam de manu eripuerit. Pater meus, qui mihi eas mandauit, maximus eſt omniũ: nec eas poßit quiſquã de eius manu extorquere. Ego autem & pater unũ ſumus.* IV. *O' audaciã: uidetis quàm nefaria uox? Agite, obruamus hominem lapidibus.* I. *Multa ego uobis præclara opera patre meo autore edidi: quod tandem eſt eorũ, propter quod me lapidetis?* IVD. *Nullam bonã ob rem te lapidamus, ſed ob impia tua in Deum dicta: ſimul quòd homo cum ſis,[a] Deum te facis.*

[a] Atqui Deũ, ſed filium ſe dixerat, ipſemet explanat